Arma Victricia CAROLI. DUODECIMI. Svecorum, Gothor:, Vandalorumq; REGIS.

Nicol: Aurelius.

Anno 1701. M. Febr.

I.

In annum Russis fatalem!

*

C*aroLVs. en. VenIt. petrVs. DVX. MagnVs. rVssIæ. fVgIt. IngrIá. 1700.*

* *

M*ysticus hic numerus CAROLUM* a. *tibi monstrat & annum.* b.
Qvô fugeret Czaarus. c. *sic pia fata volunt!* d.

I.

In CAROLUM. verè MAGNUM.

*

C*AROLUS.* a. *Heroum.* b. *qvô non est fortior alter*
Belligero Magnus REX genitore satus; c.
Defensor fidei, Boreæ Protector & Austri,
Invictus semper, Victor ubiq; pius:
Dat pacem Danis, Russos dispergit atroces;
Anni dimidio. d. *liberat imperium.* e.
Hostibus innumeris: f. *sinceros firmat Amicos,*
Vindicat oppressos, territat ambiguos;
Heroem tantum Veterum nec secla dederunt,
Néve dabunt mundi secla futura parem. g.

III.

In fausta belli præludia.

*

U*Na dies Moscos, Normannos Hebdomas una,*
Una domat reliqvos. a. *Luna, qvid anne dabis?*

 IV. In

[I.] *a.* Victorem & Vindicem. *b.* 1700. *c.* Sheremetiofis enim agmine profugiente Czaarus certior factus CAROLUM esse ante portas, & causæ & copiis belli diffidens qvanto ocyus Moscuam secebat, relictis in fatorum potestate & castris & exercitu. d. DEUS. T. O. M.

[II.] *a.* Duodecimus. *b.* Qvo nullus inter mortales unqvam fuit, est, aut erit fortior; h.e. magis justus, magis generosus, magis intrepidus. *c.* CAROLO undecimo gloriosissimæ memoriæ Patre natus. *d.* à 25. Julii styli veter. ad 20. Novembr. usqve. *e.* Avitum septentrionis imperium. *f.* Septem enim millibus Svecorum debellabat plus qvam centum millia armatorum vulgo COMBATTANTEN computando Danos, Moscos, Tartaros & Cosaccos. *g.* Vid. qvæ ad Res gestas CAROLI MAGNI annotavi, qvæ & multorum manibus adhuc tenentur & versantur. nuperrimèq; nono Actorum Livonicorum fasciculo insertæ sunt.

(III.) *a.* Substituere jam licebit. Saxonas una domat Luna, qvid anne feres? Vid. Rer. Gestar. Carm. 4. Epigr. 2.

IV.

In prælium istud miraculosum ad Narvam.

* *

CAROLUS en vênit, vîdit simul & qvoq; vîcit! a.
Plurima :b: *magna* :c: *feros*, :d: *Agmina, Castra, Duces*:
Cæsar hic invictus Gothiæ est nec pluribus impar,
Normannis, Moscis, Sarmaticisq; Viris. e.

V.

In Obsidionem Narvæ.

* *

Narva sudes oculis .a. *urbs cogi nescia Moscis,*
Jam retinet vinclis .b. *qvi modo Terror erant!*

VI.

In vanos confœderatorum ausus.

* * *

Nî Riga, nî Tönnînga dein, nî Narva fuissent .a.
Ausibus his forsan :b: *fama benigna foret.*

VII.

In Ignem istum artificialem, qvi 15. Febr. Aõ. 1701. Stadæ repræsentabatur.

* *

Ignis hic externus :a: *non omnem pectoris ignem*
Exprimit ardentis, qvô colitur CAROLUS
Stadæ Svecorum, nec pauci pingere possunt
Versus lætitiam, qvam domus omnis alit!

VIII.

Ingria dat Palmas, offert Esthonia Lauros
Invicto Regi, pectora Brema litat.

(IV.) *a.* Instar Julii Cæsaris, cui pro symbolo erat Vêni, Vîdi, Vîci!
b. Plurima agmina Moscorum nempe, Tartarorum & Cosaccorum.
c. Magna, vasta & alta castra, optimè munita & si dicere fas est, ad minimum sexaginta millibus eqvitum, desultoriorum & peditum repleta.
d. Feros & gloriantes Duces ac Tribunos, tantis Victoriis, qvas à Turcis & Tartaris reportaverant adhuc tumidè superbientes. *e.* Regibus & Principibus.

(V.) *a.* Czaari hodie regnantis PETRI, ALEXII filii. *b.* Duces, Præfectos & Tribunos terribilis istius Exercitus Moscovitici.

(VI.) *a.* Ad imitat. distich. CAROLI. V. Imperatoris; nî Mauritz, nî Metz, nî Mauritania, nî Magd- *b.* Vel si mavis, armorum major gloria vestra foret; justitia enim belli ut plurimum ex eventu judicatur.

[VII.] *a.* Quem Illustrissimus Liber Baro *NICOLAUS* à *GYLLENSTIERNA* Sacr: Reg: Maj: Summus Campi Marechallus & Gubernator Generalis Ducat. Bremæ & Ferdæ, Stadæ exhiberi jubebat.